

## DE DOMINIS DOMORVM IN

Veneris & Lunæ diameter dat infortunitatem nuptiarum, filios denegat, aut misera morte prosternit, idem natus ab uxoribus iniurias patietur.

Mercurius & Luna oppositi, effrenem multitudinis impetum, & populares seditiones contra natos suscitant, ac, animæ quoque & uerbis eorum tristem semper trepidationem incutiunt.

Aspiciendum ultimo in hoc loco moneo, quibus cum stellis fixis, & erraticis, cadat fortunæ pars, & quomodo à septem planetis aspiciatur. Nam plurimum confert ad natiuitatum iudicia &c.

### CAPVT TERTIVM.

## De significatis dominorum domorum in duodecim domibus cœli.

### Primo de domino primæ in duodecim domibus.



**D**OMINVS primæ domus bene fortunatus in prima domo, significat nato fortunam per semetipsum, & dat longam uitam, eritque sani corporis, & animi, & erit honoratus inter consanguineos suos. Si ibidem combustus fuerit, significat uitam breuem, Sed si in prima fuerit, & si aspexerit eum planeta à medio cœli, inueniet hæreditatem magnam, & exaltabitur à principe.

In secunda, significat natum fore diuitem, præsertim si fuerit ibi receptus. Infortunatus ibi, uel combustus, paupertatem, & miseriam portendit.

In tertia, significat natum facere itinera plurima, & manere cum fratribus, & propinquis suis. Infortunatus ibi, significat malum, & periculum nato à consanguineis, & fratribus suis.

In quarta, fortunam per hæreditates, & causas patrum, per productiones aquarum, populationes, uel plantationes, & ædificationes, & ex rebus antiquis, & radicalibus prosperabitur, & in rebus immobilibus, uel etiam habebit bonum, & utilitatem à parentibus, & ex mineris terræ. Infortunatus ibi, uel in octaua si fuerit, morietur natus in carcere.

Si fuerit in quinta, habebit multa gaudia, & conuiuia, uel habebit filios de quibus gaudebit, & amicos multos. Infortunatus ibi, uel combustus, & si signum fuerit aqueum, natus morietur ex ebrietate, aut ex superfluitate assumpta.

In sexta, significat multas infirmitates, & labores. Infortunatus ibi, molestabitur longa infirmitate, & tandem miserè peribit.

In septima, significat fortunam, per conuentiones, & factores, atque uxores, & habebit causas multas, cito irascetur, sequetur mulieres in causis, & rebus earum. Infortunatus, uel combustus si eo in loco fuerit, uxor nati erit causa mortis nati secundum naturam signi ibidem inuenti. Si Scorpius, toxicum caueat & uenenum. Si signum igneum, cadet in ignem causa rerum uxoris, & sic cremabitur. Si in terreo, natus cadet ab alto, & morietur.

In octaua, significat deceptorem, tristem, timidum, non diu uicturum. Infortunatus ibi si reperiatur, erit periculum, ne mater nati ex partu illo moriatur.

In nona, dat multitudinem peregrinationum longarum, uel erit in locis alienis, extrâ natale solum, & amabit scientias. Infortunatus si hoc in loco extiterit, periculum timeat latronum.

In decima, significat fortunam per regem, uel magisteria altiora, uel exaltabitur, & subli-